

scribit (1). Denique, attestante lexico univers. lipsiens. (2), apud iudaeos tunc viventes in proverbium transiit: *qui templum herodianum non vidit, numquam vidit aedificium eximium*. Tanta maiestatis et gloriae erat templum ab *Herode M.* extractum. Iam vero templum *Herodianum* longe fuit inferius templo *Salomonico*, ut *Villalpandus* (3) probat, omnesque fateri debent. Concludat iam prudens lector, quid de *vollairiana* templi *salomonici* vilipensione sentiendum sit.

49. **QUAERES XLIV.** *Quomodo concilietur locus Scripturae* (3. Reg. 7, v. 26, ubi de mari aeneo dicitur: *DUO MILLIA BATOS CAPIEBAT, cum altero loco* (2. Paralip. 4, v. 5), ubi de eodem dicitur: *CAPIEBAT TRIA MILLIA METRETAS, sive batos? Batus enim, et metreta idem significant, et in hebraeo textu utrobique in citatis locis est eadem vox* בַּת Bat. R. Ad apparentem hanc antilogiam explicandam et tollendam varia variorum responsio est. Affero solum duas. Prima est *Menochii* et aliorum dicentium, quod mare aeneum cepit duo millia batorum duntaxat, si communi modo moderate tantum implebatur; sin vero ad summum omnino apicem seu usque ad labia repleretur, cepisse tria millia batorum, et hoc significare hebr. מַחֲזִיק machazik loc. cit. Paralip. Machazik enim idem est, quod fortificanti, id est, fortiter pleneque usque ad summum implenti, capiebat tria millia batorum: textus hebraeus ad verbum hunc sensum habet: *Fortificari facienti, capiebat batos tres mille*. Peripheria enim superior quia erat amplissima, exiguo suo limbo paucorum digitorum fa-

(1) L. 5 historiarum.

(2) Tom. 42, pag. 760.

(3) Tom. 5 apparatus urbis et templi

cile capiebat mille batos. Altera responsio est eruditissimi viri *Pelletier* (4), *Calmeti* (5), et aliorum, qui mari aeneo assignant formam duplicem, superne cylindricam, inferne parallelepipedam, ita, ut crates maris aenei seu pars superior ceperit 2000 batos, basis autem eiusdem parallelepipedam excavata batos 1000. Ita duplex hoc vas, quod unum tantummodo erat intrinsecus, quamvis extrinsecus duplex videretur, simul continebat 3000 batos. Quae sententia esset valde bona, modo demonstrari posset, mare aeneum habuisse structuram hanc duplicis formae, et simul ratio dari, cur Scriptura in uno loco (nempe 3. Reg. 7, v. 26) expresse- rit capacitatem duntaxat ex parte, alio in loco totam, cum tamen ex hypothesi tam cylindrus, quam parallelepipedum pertinuerint ad ipsum mare. Unde omnibus perpen- sis prima responsio mihi praeplacet.

50. **QUAERES XLV.** *An illud de mari aeneo* (3. Reg. 7, v. 23) dictum: *FECIT QUOQUE MARE FUSILE DECEM CUBITORUM A LABIO USQUE AD LABIUM... ET RESTICUIA TRIGINTA CUBITORUM CINGEBAT ILLUD PER CIRCUITUM, salva mathesi defendi possit? Certe, si vasis diameter a labio ad labium fuit decem cubitorum, peripheria non tantum fuit triginta, sed triginta et unius ferme cum dimidio cubitorum, ut ex geometria constat: peripheria enim ad diametrum non est ut 3 ad 1, sed fere ut 3 1/7 ad 1, sive ut 355 ad 113*. Ita quidam perfrictae frontis homines, qui hoc loco s. Scripturam erroris accusant. Sed

R. Cum *Abulensi* et *Menochio*, hoc loco Scripturae subintelligen- dum esse fere, ita ut sensus sit: *Re-*

hierosol., part. 4, lib. 2, cap. 5, pag. 80.

(4) Mélanges d'histoire, tom. 1, p. 115.

(5) Comment. in III. Reg. c. 7, v. 23

sticula FERE triginta cubitorum cingebat illud (mare aeneum) *per circuitum*. Scriptura enim saepe in numeris minutias negligit. Sic (1) de *Davide* legimus: *In Hebron regnavit septem annis*, et tamen regnavit aliquid plus, nimirum septem annis cum dimidio (2). Item de rege *Ioachim* (3) dicitur: *Tribus mensibus regnavit in Hierusalem*. At constat, illum regnasse tribus mensibus et decem diebus (4). Verissimum igitur est effatum s. *Augustini* (5) dicentis: « Scriptura solet tempora ita nuncupare, ut quod ex summa perfectioris numeri paulum excre- scit, aut infra est, non computetur. » Nempe parum habetur pro nihilo. Sic etiam nos ipsi solemus appel- lare rotundo numero septuaginta interpretes, qui ad petitionem *Pto- lomaei Philadelphi* in Aegypto re- gnantis sacros libros ex hebraeo in graecum sermonem verterunt; quamvis reapse fuerint plures, ni- mirum septuaginta duo viri, sive seni ex singulis tribubus selecti (6). Igitur mirum non est, quod Scri- ptura minutias in numeris non raro negligat, sese accommodans mori lo- quendi humano, iuxta quem ad minima, praesertim si de colosseis machinis, qualis fuit aeneum mare, sermo sit, attendi non solet.

COROLLARIUM. Inepte prorsus *Spinoza* (7) ait: *Quia non tenemur credere, Salomonem mathematicum fuisse, licet nobis adfirmare, eum rationem inter peripheriam et circuli diametrum ignoravisse, et cum vulgo operariorum putavisse, eam esse ut 3 ad 1*. Nam scriptor libri 3. Reg. (quicumque demum ille fue-

rit) non ideo loc. cit. scripsit, *Resticula triginta cubitorum cingebat illud* (mare aeneum) *per circuitum*, quia veram rationem inter periphe- riam et circuli diametrum ignora- vit (scripsit enim illustratus et in- spiratus a Deo, sed ideo, ut dixi, quia Spiritus s. haec scribenda dic- tans, se accommodavit modo lo- quendi humano, iuxta quem saepe minutiae numerorum negliguntur.

51. **QUAERES XLVI.** *An id, quod* (III. Reg. 7, v. 24), *de mari aeneo dicitur: ET SCULPTURA SUBTER LABIUM CIRCUIBAT ILLUD DECEM CUBITIS AMBIENS MARE, credibile sit? Certe vasis, cuius diameter est decem cubitorum, ambitus seu peripheria non potest pariter esse duntaxat decem cubitorum.* R. Ad hanc apparenter magnam difficultatem variae vario- rum sunt responsiones, quas *Cal- met* (8) recenset. Alii enim vertunt: *Fecit caelaturas huic mari, quod habebat decem cubitorum diametrum*. Alii hebraicum textum hoc pacto reddunt: *Posuit poma* (seu pecto- turam pomorum seu sphaerularum similitudinem habentem) *subter labium illius quae circumibant omnem ambitum eius. In cubiti unius inter- vallo decem aderant poma*. Itaque iuxta hanc sententiam fascia infra labium aenei maris aderat ex tre- centis eiusmodi pomis seu sphaeru- lis composita, ita ut in cubiti unius intervallo seu spatio decem talia poma adfuerint. Atque haec sen- tentia *Calmeto* ad litteram magis vi- detur accedere. Alii denique cum *Abulensi* (9), et *Menochio* (10) di- cunt, quod sculptura illa decem cu- bitorum ambiens mare aeneum, non

(6) Vide *Calmet* Dictionar. bibl. 70 in- terpretes.

(7) Tr. theol. polit. c. 2.

(8) Comment. in III. Reg. c. 7, v. 24.

(9) In III. Reg. c. 7, q. 16.

(10) Comment. in III. Reg. c. 7, v. 24.

(1) III. Reg. c. 2, v. 11.

(2) II. Reg. c. 5, v. 5.

(3) IV. Reg. c. 24, v. 8.

(4) II. Paralip. c. 36, v. 9.

(5) Quaest. 47 in Exod.

fuerit in, aut prope labium aenei maris, ubi erat maxima amplitudo huius vasis, sed multo inferior labio, idque colligi videtur ex voce *subter*, quia sacer textus dicit: *Sculptura subter labium etc.* Atqui descendendo subter labium ad partes inferiores maris aenei in formam hemisphaerii formati, continuo circumferentia illius erat minor et minor versus basin, ita ut inter alias circumferentias etiam fuerit una decem duntaxat cubitorum, in qua sculptura illa erat expressa. Confirmat *Menochius* hanc suam sententiam ex L. II. Paralip. (1), ubi dicitur: *Decem cubitis quaedam extrinsecus caelaturae, quasi duobus versibus alvum maris circuibant, quae verba iuxta memoratum interpretem significant: « Ex quo loco istius vasis ambitus, quod semper angustius erat versus fundum, ad decem cubitus redactum erat, ex eodem caelaturae ornamenti causa erant adhibitae. »* Iam vero ex tam diversis interpretum responsionibus illud saltem constat quod hic locus Scripturae nullam manifestam falsitatem aut contradictionem involvat, adeoque auctoritas verbi divini scripti tot motivis credibilitatis, (quemadmodum theologi et polemici passim ostendunt) munita, in sua possessione maneat.

52. QUÆRES XLVII. *An illa quae Salomon (3, Reg. 8, v. 41 42 et 43), de templo a se aedificato ad Deum dixit: INSUPER ET ALIENIGENA QUI NON EST DE POPULO TUO ISRAEL, CUM VENERIT DE TERRA LONGINQUA PROPTER NOMEN TUUM.... ET ORAVERT IN HOC LOCO, TU EXAUDIES IN COELO.... ET FACIES OMNIA, PRO QUIBUS INVOCAVERIT TE ALIENIGENA, sint recte ac pie dicta, et opere ipso impleta? Quis enim credat, quod alie-*

(1) Cap. 4, v. 5.

nigenae, seu gentiles idololatrae in templum Salomonicum venerint, adoraturi Deum Israël, aut quod Deus, qui (Ioan. 9, v. 31), peccatores non audit, alienigenarum preces in templo illo exaudire paratus fuerit? R. Haec oratio Salomonis omnino pia, et valde ad impetrandum idonea erat, quae id a Deo petiit, quod illi futurum esset gloriosum, neque Salomon aliud in ea petitione spectabat, quam ut divinum nomen et se latius ad gentiles extra israeliticis terminos extenderet, et ubique gentium haberetur illustris. Hinc Salomon post citata verba immediate addit: « Ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israël, et probent, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam aedificavi. »

Porro, quamvis gentiles idololatrae errarint colendo plures Deos, tamen inter hos etiam Deum Israël numerabant, eumque credebant Deum esse potentiorum aliis Diis. Unde eum valde timebant, ut patet de *philisthaeis*, qui cum primum foederis arcam in hebraeorum castra venisse cognoverunt, timore pene exanimati dicebant: « Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes: Vae nobis.... Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dii, qui percusserunt Aegyptum omni plaga in deserto (2). » Quam autem apud *amonitas* potens existimaretur, et fidelis suorum custos iudaeorum Deus, satis ostendit *Achior* ammonitarum dux ad *Holofernem* principem militiae assiriorum dicens (3): « Si vero non est offensio populi huius (israelitici) coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, et erimus in

(2) 1. Reg. c. 4, v. 7 et 8.

(3) Iudith c. 5, v. 25.

opprobrium universae terrae. » Rex quoque *Nabuchodonosor*, qui tres viros *Sidrach*, *Misach*, et *Abdenago* in fornacem ardentem misit, sed hos a flamma incolumes vidit, dedit legem, ne quis sub poena mortis malediceret Deo Israël (1). Cum ergo eam gentes de israelitarum Deo opinionem concepissent, quid mirum, si illum consultum in dubiis, et oratum in rerum angustiis esse vellent, et hunc in finem venirent in templum hierosolymitanum? Sic venit adorare in *Ierusalem eunuchus reginae Candacis* (2), qui iuxta opinionem ss. *Basilii* et *Thomae* ac aliorum adhuc fuit tunc ethnicus; quamvis iuxta alios verisimiliter iam fuerit proselytus iudaeorum (3). Alibi vero clare dicitur, quod quidam gentiles venerint, ut adorarent in templo: *Erant gentiles quidam ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo* (4), scilicet in die azymorum. Atque hunc in finem pro gentilibus in templo atrium quoddam extrucium erat, quod vocabatur *gentium*, quia in illo gentiles esse, ulterius vero progredi non permittebantur. De hoc atrio vide *Iosephum* (5).

Ad alterum, quod in praesenti quaestione nobis obiectum est, scilicet peccatores a Deo non exaudiri, R. et dico, non omnes gentiles fuisse peccatores, seu in peccato mortali constitutos. Non enim peccabant graviter per hoc, quod non observarent legem mosaicam, quia haec solos israelitas obligabat, non vero alias gentes. Neque omnes gentiles erant idololatrae, sed multi erant,

(1) Daniel. c. 5, v. 96.

(2) Actor. c. 8, v. 27.

(3) *Calmet* in Actor. c. 8, v. 27.

(4) Ioan. c. 12, v. 20.

(5) L. 2 contra *Appionem* longiuscule a principio.

(6) Ioan. c. 9, v. 6 et 7.

(7) L. 5 de bapt., contra donat., c. 20.

qui non colebant idola, quamquam non observarent caeremonias legis mosaicae, uti *Iob*, *Melchisedech*, et similes. Unde poterant isti exaudiri a Deo. Dein obiectus textus: *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, non est sententia ipsius s. Scripturae, sed haec tantum narrat, illam prolatam esse ab homine caeco, quem Christus paulo ante illuminaverat (6). Unde s. *Augustinus* (7) ait, hunc caecum nimis generaliter dicendo, *peccatores Deus non audit*, errasse, cum adhuc esset catechumenus et necdum satis in fide instructus: generaliter enim idipsum non esse verum. Et profecto Deus peccatores, si poenitentes veniam petant, illam eis indulget, iisque bona temporalia, quin et spiritualia petentibus saepe elargitur. Alii respondent, illius effati sensum esse duntaxat hunc: Deus non exaudit peccatores ita, ut ad declarandam eorum sanctitatem, quae nulla, vel ficta et simulata est, miracula faciat, uti tamen fecit per Iesum, ad testandum, quod ipse sit Messias. De hac enim re ibi agebatur. Ita *Theophylactus*, *Euthymius*, *Maldonatus* (8), ac *Suarez* (9).

53. QUÆRES XLVIII. *An SALOMON (3, Reg. 9, v. 11), licite DEDERIT regi HIRAM VIGINTI OPPIDA IN TERRA GALILAEAE; etsi in lege (Lev. 25, v. 23), prohibitum fuerit, aliquid de terra promissionis alienare? R.* Omissa responsione *Grotii* (10) quam *Calmet* (11) recenset, communior interpretum (12) sententia est, *Salomonem* nequaquam cessisse dominium et proprietatem harum ur-

(8) Comment. in Ioan. c. 9, v. 54.

(9) Tom. 2 de religione, l. 4 de orat. c. 25.

(10) L. de iure belli et pacis, cap. 5, art. 12.

(11) Comment. in III. Reg. c. 9, v. 11.

(12) *Tost.*, *Menoch.*, *Tirin.*, *Serar.*, *Cornel.*

bium regi *Hiram*, sed ad tempus duntaxat illi permisit, ut terrae fructibus frueretur, donec princeps hic sumptus, quos fecerat, et pecunias, quas *Salomoni* miserat ad templi aedificationem, reparasset. Ceterum haec oppida erant in ea regione Galilaeae, quae *Tyro* vicina est, quaeque exinde *Galilaea gentium* appellata est (1). Verum, cum rex *Hiram* per otium ea oppida contemplatus esset, neque talia putaret, ex quibus nisi longo tempore et gravi molestia sumptus factos recuperare posset, noluit ea admittere (2). Quare cum horum oppidorum cessio a *Salomone* facta nullum, teste etiam *Iosepho* (3), obtinuerit effectum, non est cur nobis diutius negotium facessat, praesertim quia, etsi *Salomon* in hoc facto errasset, nihil inde contra divinam s. Scripturae auctoritatem concludi posset, ut cuilibet facile patet.

54. QUÆRES XLIX. *An illud* (3. Regum 8, v. 9): IN ARCA AUTEM NON ERAT ALIUD NISI DUAE TABULAE LAPIDEAE QUAS POSUERAT IN EA MOYSES IN HOREB, *verbis Pauli* (ad Hebr. 9, v. 4): IN QUA (arca) ERAT URNA AUREA HABENS MANNA ET VIRGA AARON QUAE FRONDUERAT, ET TABULAE TESTAMENTI non contradicat? R. Nulla hic est realis contradictio. Nam etsi ea omnia, quae s. *Paulus* loc. cit. commemorat, intra arcam tempore *Salomonis* non amplius asservata fuerint, non sequitur, intra eam illa non extitisse tempore *Moysis*, ad quod apostolus alludit. Praeterea id

(1) Isai. c. 9, v. 1.

(2) III. Reg. c. 9, v. 12. Idem colligitur ex II. Paralip. c. 8, v. 2.

(3) L. 8 antiq. c. 2, ubi sic ait: « Praeterea Galilaeae oppida numero viginti non procul a *Tyro* dissita ei donavit: quae cum ille (nimirum rex *Hiram*) perlustrata satis considerasset, et non valde probasset, renuntiari iussit *Salomoni*, sibi non esse opus eis oppidis; et ex

certum habetur: etiam sub *Salomone* urnam et virgam prope arcam appensas vel positas fuisse, ut adeo in sensu ampliore quasi in arca extitisse dici possint, qui loquendi modus non omnino insolitus est. Sic *Christus* dicitur passus in *Ierusalem*, cum iuxta eam urbem sit crucifixus. Sic vulgo dicimus *Romae*, *Augustae*, *Parisiis* contigisse, quod iuxta illas urbes contigit. Idem ergo hic de urna et virga vult dicere *Paulus*, quod de libro *Deuteronomii Moyses* (4) dicit: *Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis*. Sicut ergo liber *Deuteronomii* positus fuit non in arca, sed in latere arcae, ita quoque ibidem posita sunt urna et virga, recteque dici potest, haec omnia fuisse posita in arca, id est in latere arcae. Atque hoc est quod iusserat *Dominus Moysi*, et *Moyses Aaroni*, de manna dicens (5): *Respone* (illud) *coram Domino*. Non dicit: *in arca*, sed *coram Domino*, id est, coram arca et propitiatorio, in quo quasi throno suo residet *Dominus*. Ita *Cornelius a Lap.* (6) cum aliis.

55. QUÆRES L. *An Salomon sit salvus?* R. Quamvis *Salomon* graviter peccarit amando ardentissimo amore mulieres alienigenas (7), et idola colendo (8); tamen I. multi ss. patres et interpretes iudicant eum poenitentiam egisse, et adhuc salvatum esse, praesertim s. *Ambrosius*, qui (9) ob libros eius canonicos vocat *SANCTUM Salomonem*,

eo terra *Chabalon* (seu *Chabul*) est appellata, voce phoenicum lingua id quod displicet significante. »

(4) Deut. c. 31, v. 26.

(5) Exod. c. 16, v. 35.

(6) Comment. in epist. ad Hebr. c. 9, v. 4.

(7) III. Reg. c. 11, v. 1 et 2.

(8) Ibidem v. 4 et 5.

(9) Prooemio in *Lucam*.

qualem non vocaret, si non bonum eius finem seu mortem iudicasset. Certe ob bonum initium non vocasset *Iudam Iscariotem* *SANCTUM*. Ad haec idem s. pater alibi (1), relatis peccatis *Davidis*, *Salomonis*, *Pauli*, ait: « Si erraverunt iusti, erraverunt ut homines; sed peccatum suum tanquam iusti agnoverunt. » Similiter s. *Hieronymus* (2) inquit: « *David* amicus Domini, et *Salomon* amabilis eius, victi sunt quasi homines, ut et ruinae nobis ad cautionem et poenitudinis ad salutem exempla praeberent. » His accedunt s. *Cyrillus Hierosolym.*, s. *Gregorius* thaumaturgus, s. *Antoninus*, s. *Bonaventura*, *Rupertus*, *Dionysius Carthus.*, *Pineda*, *Salianus*, *Barradius*, *Serarius*, *Martinus Delrio*, et alii, qui acriter pro aeterna *Salomonis* salute certant.

II. Huic sententiae etiam favet s. SCRIPTURA: Nam in libro *Proverbiorum* (3) *Salomon* agri spinis ob siti conspectu in se reversus ait: *Quod cum vidissem posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam*; ubi LXX interpretes habent: *ἵστερον ἐγὼ μετανοήσα*: postea ego poenitentiam egi; quae verba citans s. *Hieronymus* (4) ait: « Peccavit *Salomon*, licet postea egerit poenitentiam, scribens *Proverbia*, in quibus ait: novissime ego egi poenitentiam. » Eodem modo s. *Cyrillus Hierosol.* (5) profatus: « *Salomon* ceciderat: sed quid inquit postea? Ego egi poenitentiam. » Et certe ostendit poenitentem animum in eodem libro (6) dicens: « Stultissimus sum virorum... et non novi scientiam sanctorum, » scilicet ob peccata praeterita. Et paullo infra (7) ait: « Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. Vani-

tatem et verba mendacia longe fac a me; mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatu illicitiar ad negandum *Dominum*. » Taceo alios textus s. Scripturae, ex quibus auctores supra laudati, aut alii aeternam *Salomonis* salutem probant. Ceterum etiamsi poenitentiae *Salomonis* nulla in sacris literis vestigia haberemus, non statim sequeretur, quod poenitentiam non egerit. Certe *Bethsabee* adulterium cum *Davide* commissum in Scriptura narratur, nullaque de eiusdem foeminae poenitentia ibidem mentio fit. An ideo statim concludendum, quod illa nullam egerit, aeternumque damnata sit? Et sic de aliis loquendo, quorum quidem peccata in sacris literis narrantur, servato silentio de eorundem poenitentia. Dein quis nos prohibebit, cum doctissimo *Lorino* (cap. 2 *Prolegomenon in Ecclesiasten*) dicere: quod data *Salomoni* venia certis quidem et indubitatis monumentis potuerit mandari, quae tamen ad nos non pervenere. *Potuit*, inquit laudatus auctor, *alius aliquis* (de venia *Salomonis* data) scripsisse, v. g. *Nathan*, *Addo*, *Ahias*, qui res *Salomonis* persecuti sunt. De his enim II. Paral. 9, 29 Scriptura testatur his verbis: « Reliqua autem operum *Salomonis* priorum et novissimorum scripta sunt in verbis *Nathan* prophetae, et in libris *Ahae* *Silonitis*, in visione quoque *Addo* videntis. »

Verum, his omnibus non obstantibus, multi sunt ex patribus aliisque scriptoribus, qui *Salomonem* damnatum esse arbitrantur aut arbitrari dicuntur. Tales sunt *Prosper* (8), *Eucherius* (9), *Tertull.* (10), *Cy-*

(1) Apologia posteriore de *Davide*, c. 5.

(2) Ep. 9 ad *Salvinam*. (5) C. 24, v. 52.

(4) Comment. in *Ezech.* c. 45.

(5) Catech. 2. (6) Prov. c. 50, v. 2 et 5.

(7) Ibidem v. 7, 8 et 9.

(8) P. 2 de praedict. c. 27.

(9) In IV. Reg. c. 25.

(10) L. 2 de praescript. c. 2.

prianus (1), Augustinus (2), Chrysostomus (3), Isidorus (4), Beda (5), Rabanus (6), Abulensis (7), Lyranus (8), Andreas Vega, et alii, ex quibus proin petita solvi debent.

ARGUMENTA CONTRARIA

56. ARGUMENTUM I. Salomon non egit sinceram poenitentiam; quia fana idolis aedificata non destruxit, sed reliquit haec scandala filiis Israel: ergo prob. ant. in libro quarto Regum (9) dicitur: *Excelsa quoque . . . quae aedificaverat Salomon Astaroth idolo sidoniorum . . . et Chammos . . . et Melchom . . . polluit rex*, nimirum Iosias; ergo Salomon ea nondum destruxerat. R. Neg. ant. et cons. Nam I. forte Salomon poenitentia ductus et subruit templa idolorum, et delevit: at posteriores reges illa iterum instaurarunt, quae tamen semper retinebant appellationem illam *excelsorum Salomonis*, a primo illorum inventore et in vectore; ferme sicut templum a Zorobabele reaedificatum vocabatur adhuc *templum Salomonis* (10). Igitur Iosias verisimiliter destruxit ac polluit excelsa Salomonis sic dicta, sed instaurata vel ab Ammon impio Manassis filio, vel ab aliis impiis regibus Iuda, Salomone posterioribus, Iosia prioribus. Atque huiusmodi profecto videntur fuisse altaria illa quae evertit Iosias (11); nimirum instaurata ab Amon, de quo scriptum est (12): *Servivit im-*

(1) Epist. 7.

(2) L. 17 de civ. c. 20.

(3) Serm. de poenitentia, tom. 5 operum huius s. Patris.

(4) De vita vel obitu sanctorum, c. 54.

(5) In lib. III. Reg. c. 6.

(6) In lib. IV. Reg. c. 25.

(7) In lib. III. Reg. c. 11, q. ult.

(8) In II. Reg. c. 7, et Prov. c. 30.

(9) IV. Reg. c. 25, v. 15.

(10) Ioan. c. 10, v. 25; item Actor. c. 5, v. 11.

munditiis, quibus servierat pater eius (MANASSES), et adoravit eas. Quod fieri aliter non potuit, quam instauratis altaribus et idolis quae poenitens pater eius everterat (13). Nam mira illius gentis in servitio et cultu veri Dei inconstantia erat ac levitas. Unus destruebat quod alter aedificabat, summa religionis instabilitate, ut tum ex aliis, tum ex illo perspicitur, quod Salomon primum Dei cultor, mox idolorum, Roboam vero eius filius triennio tantum (14) fidelis Domino fuerit. Ac, ut alia regum Iuda facta variantia taceam, Manasses . . . aedificavit excelsa quae dissipaverat Ezechias pater eius (15). Diruit autem eadem tandem poenitens Manasses, sed reaedificavit illa Amon etc.

II. Vel dici potest, quod Salomon everterit quidem statuas, labefactaverit et diruerit delubra seu templa idolorum, sed non complanarit usque ad fundamentum, ita ut ruinae et parietinae tantum manserint, tum peccati tum respiscentiae Salomonis testes. Porro illas Iosias rex ingenti animi et pietatis ardore omnino delevit, et locum illum polluentem ad detestationem praeteritae impietatis sanctissime curavit: ferme sicut aras idolorum a poenitente rege Manasse iam dirutas, penitus delevit. Constat enim ex sacra historia, Manassem, postquam egit poenitentiam « abstulisse Deos alienos, et simulacrum de domo Domini, aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, et in Ierusalem, et proiecit omnia extra urbem.

(11) IV. Reg. c. 22.

(12) IV. Reg. c. 21, v. 21.

(13) II. Paral. c. 35, v. 15, ubi de rege Manasse dicitur: *Et abstulit deos alienos, et simulacrum de domo Domini, aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, et in Ierusalem, et proiecit omnia extra urbem.*

(14) II. Paralip. c. 11, v. 17.

(15) IV. Reg. c. 21, v. 2.

lem, et proiecisse omnia extra urbem (1)» et nihilominus nepos eius rex Iosias legitur (2) « altaria quae fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini destruxisse . . . et dispersisse cinerem eorum in torrentem Cedron: » quae cum in speciem contraria videantur, conciliari possunt ratione iam indicata, nimirum dicendo, Manassem diruisse sua illa altaria; sed ita tamen, ut penitus non complanarit, neque deleverit, Iosias vero reliquias ruinarum et impietatis vestigia deleverit.

III. Denique, etiamsi Salomon delubra idolis a se dicata non destruxisset ob metum rebellionis, aliorumque graviorum malorum, propterea non continuo damnandus esset; sicut pii reges Iosaphat, Ezechias intermedii inter Salomonem et Iosiam propterea damnandi non sunt, quod ea scandala non sustulerint, quae tamen per se loquendo evertere tenebantur. Sic Abulensis (3) expresse probat, Ezechiae non verti culpae, quod delubra illa non everterit: immo potius huius regis pietas mirifice commendatur in s. Scriptura (4). Quare simili modo Salomonem excusant Pinedu (5), Widenhofer (6), Weitenauer, qui (7) ita argumentatur: « Quare reges Iuda pietate celebres, et inter Salomonem ac Iosiam intermedii excelsa Salomonis non destruxere? Nimirum alterutrum dicendum est; Salomonem destruxisse quidem haec fana, sed eadem a quodam ex eius successoribus in regno Iuda iterum fuisse restaurata et usque ad tempora Iosiae conservata, retento antiquo nomine excelsorum Salomo-

(1) II. Paralip. c. 35, v. 15.

(2) IV. Reg. c. 25, v. 12.

(3) In IV. Reg. c. 18, q. 10.

(4) IV. Reg. c. 18, et Ecclesiast. c. 48.

(5) In Salomone praevio lib. 8, c. 1, sect. 7, n. 68.

(6) S. Scripturae explicat. tom. 4 in

nis; vel Salomonem aditum excelsorum a se aedificatorum ita obserrasse et clausisse, ut omne periculum et occasio scandali tam suo quam sequentium regum tempore fuerit sublata. Qui neutrum ex his duobus admittit vult, non solum Salomonem, sed etiam sequentes reges Iuda, quamvis virtute et religione celebres, damnare debet.»

ARGUM. II. S. Eucherius (8) ait: « Palam ostenditur quod Salomon de admissae idololatriae scelere nunquam perfecte poenituit; nam si fructus poenitentiae dignos faceret, satageret ante omnia, ut idola, quae aedificaverat, tollerentur. « Sic etiam Prosper (9) inquit: « Salomon elatus in senio, fornicatus in mente et corpore, Domino ipsum deserente, male obiit. » Sic s. August., Isid., Chrysostom. etc. R. S. Eucherio et s. Prospero opponendo communem ss. patrum sententiam, fundatam in s. Script.; ut satis constat ex probatione nostrae adsertionis supra (10) allata. S. Augustinus (11) dicens: *Salomon reprobatus est a Deo*, intelligi potest de reprobatione a statu innocentiae, non a regno coelorum. Nam subiicit, *Salomonem cecidisse*, id est peccasse; sicut Adam cecidit in paradiso, qui tamen aeternum reprobatus non est. *Quid mirum, subdit s. doctor loc. cit., quia in populo Dei cecidit Salomon? in paradiso non cecidit Adam? Certe cum idem s. doctor (12) ait, Salomonem post peccata adhuc *θεοφιλετος*, seu a Deo inspiratum fuisse, implicite asserit, illum poenitentiam e-gisse. Id enim de seipso Salomon in L. Proverb. (13), quem post la-*

III. Reg. c. 11, v. 4, pag. 759 et 760.

(7) Praefat. in Ecclesiasten.

(8) In IV. Reg. c. 25.

(9) P. 2 de praed. c. 27. (10) Num. 52.

(11) Praef. in ps. 126, ubi ait: *Salomon mulierum amator fuit et reprobatus a Deo.*

(12) Ibidem. (13) Cap. 24, v. 52.

psum suum scripsit, testatur, dicens: *postea ego egi poenitentiam*. Unde, dum idem s. *Augustinus* L. 17 de civ. cap. 20 de *Salomone* ait: *Hic bonis initiis, malos exitus habuit*, tantum videtur velle dicere, quod post bona initia senex in vitia lapsus sit, quod innocentiae libido, religioni perfidia sacrilegiumque successerit. Plura locus ille *M. Aurelii* non desiderat, nihilque cogit *exitus* illos ipsam ultimam vitae lineam interpretari; ferme sicut similia verba s. *Isidori* mox pari modo interpretabimur. *S. Chrysostomus* vero, serm. de poenitentia, solum ait: *Salomon nesciens poenitentiam, perdidit gratiam*, nimirum quamdiu poenitentiam nescivit; non ait, quod semper nesciverit. Similiter s. *Isidorus* l. de vita et morte sanctorum c. 34 de *Salomone* tantum ait: «Cuius principia bona fuerunt, novissima autem mala: nam post miram virtutum gloriam, amore depravatus foemineo, et acceptam sapientiam perdidit et in profundo idololatriae stenda ruina demersit» nempe cum peccavit, non cum poenitens salvatus est. Tandem patribus vel dubiis vel paucis oppono pp. plures, claros, et ipsa s. Scriptura efata, supra n. 52 pro asserenda *Salomonis* poenitentia et aeterna salute allegata. Alios patrum textus apparenter nobis contrarios explicat et solvit *Lorinus* loco mox citando.

ARGUM. III. Saltem peccata *Salomonis* sunt certa; poenitentia est dubia; ergo haec non debet adstrui. R̄. Quamvis nondum sit de fide aeterna salus *Salomonis*, quia id *Ecclesia* nondum definit, nec tam fa-

(1) Epist. ad *Ianuarium* de recip. lapsis in biblioth. pp. coloniensi, tom. 5.

(2) Libros hos plumbeos, a granatensi archiepiscopo *Petro de Castro* inter montis granatensis cuniculos aetate sua inventos, plurimi facit *Ioannes Pineda* (in *Salomone praevio* l. VIII, c. 4, n. 75) ubi

cile definitura videatur ob varias sententias catholicorum de authenticia textus graeci adhuc incorrupti, de perseverantia *Salomonis* in poenitentia usque ad mortem etc.; nobis tamen ob rationes allatas poenitentia *Salomonis* est verisimilior. Hanc enim si non certam, saltem probabilior nobis facit tum s. Scriptura, tum communior patrum et aliorum scriptorum catholicorum, quibus hic addo s. *Bachiarium*, s. *Augustino* coaevum, qui dubium in obiectione propositum solvit (1) his verbis: «*Salomon* ille mirabilis, qui vinculis libidinis illaqueatus etiam sacrilegii errore se polluit, qui per prophetam culpam erroris agnovit, nunquid misericordiae coelestis extorris fuit? An forsitan dicas: Numquam in canone eum lego poenituisse, neque misericordiam consecutum. Audi ergo, frater: poenitentia eius, quae non inscribitur publicis legibus, fortasse a Deo acceptabilior iudicatur, qui non ad faciem populi, sed in secreto conscientiae teste Deo poenituit. Veniam autem consecutum esse agnoscimus.» Insigni huic s. *Bachiarium* testimonio addo aliud, quod in antiquissimis et superiore demum saeculo eritis granatensium libris plumbeis (2) de *Salomonis* poenitentia legitur his verbis idiomate arabico vetustissimo exaratis:

Uabakā dzanbahū bukaān sciadlan:
Et flevit scelus suum fletu vehementi:
Uaghafarā lahū uamāla aminān
maimunnān
Et condonatum est illi: et obiit fidelis,
securus.

Denique qui plura de *Salomonis* poenitentia et aeterna salute legere

argumentum ex iis petitum firmissimum, et veluti colophonium auxilium *Salomonis* salutis et defensionis esse ait. Porro iam inde a *D. Iacobi* apostoli, eiusque sociorum in Hispania conversantium temporibus volumina haec, teste *Pineda*, scripta creduntur, sermone arabico antiquissimo.

cupit, consulat praeter alios *Lorinum* (1) et *Ignat. Weilenauer* (2), ubi patres aliosque auctores pro vel contra aeternam *Salomonis* salutem pugnantes, singulari accuratione citatos inveniet.

57. QUÆRES LI. *Quomodo explicetur illud* (3. Reg. 15, v. 5): *DAVID FECIT RECTUM IN OCULIS DOMINI, ET NON DECLINAVIT AB OMNIBUS, QUAE PRAECEPTA EI, CUNCTIS DIEBUS VITAE SUAE, EXCEPTO SERMONE URIAE HETHAEI; cum tamen constet, eum saepius peccasse, nimirum I. numerando populum, 2. Reg. c. 24. II. decernendo occidere Nabal, 1. Reg. 25, v. 34. III. Miphibosetho innocenti mediam partem facultatum adimendo, 2. Reg. 19, v. 29. IV. Tanta crudelitate saeviendo in ammonitas, ut super prostratos circumageret ferrata carpenta, et cultris et serris miseros dilaniaret, 2. Reg. 12, v. ult.?* R̄. Quamvis haec res sit explicatu difficilis, in qua laborarunt plurimum interpretes, hi tamen ferme omnes eo inclinant, ut putent, *Davidem* a Scriptura loc. cit. dici, in uno tantum casu *Uriae* peccasse, quia hoc peccatum fuit patens et enorme; reliqua verò illius comparatione exigua, sive ge-

(1) Cap. 2 praefationis in *Ecclesiasten*.

(2) Oratione academica, cui titulus: *Salomon coelo assertus*. Edit. august. et Frib. Brig. 1756.

(3) Sic saevitia *Davidis* exercenda in *nabalitas*, et exercita in *ammonitas* tegmine iustae vindictae velabatur; immo vindicta in *ammonitas* exercita reapse iusta videri potest, ut quaest. 26 ex *Calmeto* indicavimus. Sic etiam numeratio populi a *Davide* facta, praetextu religiosi tributi pro templo construendo, vel praetextu, quod rex robur sui regni scire debeat (V. supra quaest. 52) velari potuit.

(4) Sic *David* ad orationem *Abigail*, I. Reg. c. 25, confestim damnavit, quod voluerit *Nabal* cum suis occidere, et gratias egit, quod ad illa prohibitus, gladium in vaginam recondiderat, et manus referret a caede puras.

nus illorum, sive durationem seu alias circumstantias spectes. Nam vel non erant mortalia saltem in aestimatione hominum, sed honesto aliquo praetextu, vel virtutis saltem apparentis velamine tecta (3), vel mox iterum retractata (4), aut plurimis aliis benefactis veluti oblitterata et disparentia (5). E contrario, adulterium et homicidium in casu *Uriae* a *Davide* commissum fuit peccatum prorsus enorme et manifestum, quod nullo honesto praetextu velari poterat, ac in eo *David* diu haeserat; quia iam natus erat ex adulterio filius, quando a *Nathan* propheta rex reprehensus resipuit, et egit poenitentiam. Quocirca optime iuxta communem hominum sensum, et Scripturae consuetudinem, excepto casu *Uriae*, nunquam declinasse dicitur *David* a viis Domini, quia vel modice deflexit, vel statim rediit, aut honesto praetextu cetera delicta sua textit, eaque insuper plurimis benefactis velut oblitteravit. Quae enim ita fiunt, vulgus hominum, quibus se Scriptura in modo loquendi hic accommodat, a peccatorum nomine et turpitudine liberat. Vide *Sanctium* (6), *Tirinum* (7), aliosve interpretes.

(5) In Scriptura sacra usitatum est, ut si pauca desint ex magno numero, nihil existimetur defuisse. Sic quia *David* multa edidit opera laudabiliter et sancte, etiamsi aliquando peccaverit, quia id fuit perquam raro, nunquam peccasse traditur; aut quod idem est, omnes fecisse Dei voluntates; prout legitur Actor. c. 15, v. 22, *Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Et idem affirmatur *Ecclesi.* c. 49, v. 4, de *Iosia* et *Ezechia*, qui licet aliquando peccaverint, id fecere perquam raro, et innumeris benefactis, peccatorum suorum nomen et memoriam obtriverunt: *Praeter David et Ezechiam, et Iosiam omnes peccatum commiserunt*.

(6) Comment. in I. Reg. c. 25, v. 55, num. 49-56.

(7) Comment. in III. Reg. c. 15, v. 5.

Caeterum non omnia, quorum increduli aut alii *Davidem* insimulant, esse tam gravia peccata, iam supra (1) a nobis ostensum est.

58. QUÆRES LII. *An non sint contradictoria, dum* (3. Reg. 15, v. 14) *de rege Asa dicitur: EXCELSA AUTEM NON ABSTULIT. Sed* (II. Paralip. 14, v. 2) *commendatur: SUBVERTIT ALTARIA PEREGRINI CULTUS ET EXCELSA. Item dum* (III. Reg. 22, v. 44) *de rege Iosaphato dicitur: VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT. Sed* (II. Paralip. 17, v. 6) *de eodem legimus: CUMQUE SŪMPSSSET COR EIUS AUDACIAM PROPTER VIAS DOMINI, ETIAM EXCELSA ET LUCOS DE IUDA ABSTULIT. An excelsa auferre, et non auferre non sunt contradictoria?* R̄. In neutro horum datur contradictio, nisi duntaxat apparens. Nam *excelsa*, quorum in Scriptura fit mentio, duplicis generis fuere. Alia erant dicata vero Deo altaria in excelsis locis constituta, in quibus ante templi aedificationem aliqua sacrificia per indulgentiam populo permissa fuerant (2). Alia excelsa erant idolorum cultui destinata. Haec ultima rex *Asa* abstulit, non item illa, sibi vires deesse putans, ut et ista subverteret (3). Verebatur enim, ne populus, qui excelsa illa, aedificata etiam templo, ex assuetudine frequentare non omisit, obsisteret, ac ipse quoque ferre cogeretur excelsa idolis dicata, eoquod ferre nolisset ea, quae vero Deo consecrata erant. Eadem est responsio ad alterum. Nimirum *Iosaphat* non secus ac *Asa* pater ipsius, cuius pietatem aemulatus fuerat, demolitos est excelsa idolis dicata, non autem excelsa Deo Israël sacra. Unde cum

(1) Quaest. 21, 26, 33 et 34.

(2) Vide *Theodoretum* in III. Reg. q. 47.

(3) *Ibidem* q. 42.

(4) II. Paralip. 17, v. 6.

(5) *Ibidem*. c. 20, v. 53.

Scriptura dixisset (4) *Iosaphat* sustulisse *excelsa et lucos*, postea alio loco (5) subiicit: *Verumtamen excelsa*, scilicet Deo vero dicata, sed ab eo vetita, non abstulit.

59. QUÆRES LIII. *An corvi a quibus Elias* (3. Reg. 17, v. 4 et 6) *pastus est, fuerint veri corvi, vel potius angeli specie corvorum, aut homines arabes, vel mercatores?* Antequam respondeam observo, *Abulensem* (6) censere, quod dici possit fuisse angelos in specie corvorum apparentes, et cibos *Eliae* afferentes; cum angeli sint ministri Dei, et ab hoc ordinentur ad ministerium salvationis nostrae (7); quamvis hic ipse auctor loc. cit. verisimilius iudicet, non fuisse angelos, sed veros corvos. Alii quidam critici ut multiplicationem miraculorum evitent, teste cl. *Bullet* (8) aiunt, vocem hebraeam הערבים quae hoc loco ponitur, hic non significare *corvos*, prout nostra vulgata habet, sed *arabes*, vel *mercatores*: et quidem incolas urbis *Arab* prope *Bethsan*. Sed

R̄. *Elias* neque ab angelis in specie corvorum apparentibus, neque ab arabibus aut mercatoribus, sed a veris corvis pastus est. Nam dictam vocem hebraeam הערבים tam iudaei quam christiani omni tempore intellexerunt et verterunt in nomen *corvi*. Ita enim habet versio graeca LXX interpretum, versio syriaca, paraphrasis chaldaica, *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, *Iosephus*, vetus vulgata (ut ex pluribus citationibus a s. *Augustino*, qui hanc sequebatur, factis patet), nova seu nostra vulgata, patres, rabbini, nostrique interpretes unanimiter. Num

(6) In III. Reg. c. 17, q. 15.

(7) Ad Hebr. c. 4, v. 14.

(8) *Réponses critiques*, tom. 4, n. 54, mihi pag. 208.

duos vel tres innominatos, aut parum cognitos auctores tam unanimi aliorum consensui praeponere fas est? Et quis est, qui dubitare ausit totam naturam, quanta est, ad Dei conditoris nutum esse paratam? Deus (1) *mandavit locustis, ut absumant terram* (2); *serpenti, ut mordeat rebelles* (3); *pisci, ut evo-meret Ionam in aridam*. Quid igitur tam paradoxum aut incredibile apparet in eo quod mandaverit *corvis, ut Eliam pascant*?

Neque nos moratur locus, a quo mensa, a qua corvi alimenta acceperint. Quaestio haec est curiosa magis quam vel utilis, vel necessaria: et ingenue fatetur *Augustinus*, vel quicumque est auctor libri *de mirabilibus s. Scripturae* (4), ignorare se, undenam corvi cibos illos attulerint: *Abulensis* (5) tamen non temere coniectat, haec alimenta fuisse ex regis *Achabi* domo. Quod si verum est, mirifica illa fuit Dei providentia: et intercessit haud dubie aliqua angelorum cura, corvos ceteroqui crudeles et rapaces, ad id ministerium statis horis impellentium, a voracitate compescentium et ad condictum locum conducentium.

Maioris videtur momenti quaestio an *Elias*, salva lege divina, cibum accipere potuerit ab avibus immundis, scilicet a corvis. Sed est haud difficilis solutu. Fuit corvus immunda avis cibo, non tactu; etposito etiam immundum, ex lege caeremo-

niali fuisse cibum, quem forte corvus tetigerit, poterat, qui legem dederat, dispensare ab ea: valetque hic illud (6): *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. Imo vero leges caeremoniales iudaei in casu necessitatis non tenebantur observare. Unde profugus *David* fame compulsus panes propositionis comedit datos ab *Achimelech* sacerdote (7), quorum esus non erat permissus nisi sacerdotibus, et Christus ipse hoc *Davidis* factu discipulos spicas sabbato vellentem excusavit coram pharisaeis (8), dicens: « Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse, et qui cum illo erant: quomodo... panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his, qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? »

60. QUÆRES LIV. *An sacrificium ad preces Eliae suapte sponte succensum* (3. Reg. 18, v. 38) *fuerit verum miraculum?* Occasionem huic quaestioni dedit *Ioannes Iacobus Rousseau*, qui (9) ita irridet coelestes flammis, quibus depastum est *Eliae* sacrificium: « Si Baalis sacerdotes, inquit, dominum ROUELLE (10) habuissent secum, strues lignorum, quem paraverant (11), sine adminiculo abiisset in flammis, et *Elias* delusus fuisset: » quibus verbis innuere vult, *Eliam* sine miraculo incendium sui sacrificii sua sponte ortum potuisse obtinere. Verum

R̄. Etiamsi *Baalis* sacerdotes dominum *Rouelle* secum habuissent,

(1) II. Paralip. c. 7, v. 13.

(2) Amos c. 9, v. 5. (3) Ion. c. 2, v. 11.

(4) Auctor operis *de mirabilibus s. Scripturae*, l. 2, c. 15, ita inquit: *Unde vero eas carnes et panes ille corvus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat*. Ceterum hic auctor satis certo non est s. *Augustinus*, sed alius quidam, qui l. 2 huius operis c. 4, dum de cyclis disserit, manifestat, se post annum Domini sexcentiesimum vixisse, et haec scripsisse.

(5) In III. Reg. c. 17, q. 16.

(6) Actor. c. 10, v. 15.

(7) I. Reg. c. 21, v. 6.

(8) Luc. c. 6, v. 5 et 4.

(9) In opusculo, quod inscripsit: *Lectres de la Montagne*, pag. 99.

(10) Celeberrimus nostri saeculi chymicus in Gallia.

(11) III. Reg. c. 18, v. 25 et 26.